



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

7. Duo calculi grauiore, quantum ad diderint Lessio cruciatum?

urn:nbn:de:hbz:466:1-45701

inde pile magnitudine extuberans. Ab his omnibus, quotidiana erant & domestica proelia. Externum aliquod accersendum erat, quo Lesius frangi posse videbatur.

Cum ad septimam Generalem Congregationem proficisceretur, non longe à Lucerna (vrbs est in Germania Italiaq; confinibus) ipso exaltata Crucis festo die, ut videlicet crucem haberet, qua aliquando ad calos exaltaretur, euerso quo vehebatur curru, tibia ei confracta est: stetit tamen illi animus. Agnouit à DEO vulnus illud esse: letus gratisque excepit, & quidem ea animi in diuino beneplacito quietus; ut nec preces ad Deiparam Lauretanam ex itinere pro sanitate fundendas putarit.

Qui leserat, sanauit DEVS; non ut deinceps abstineret, sed ut iterum fortiori manu, non nihil respirantem, vulneraret. Proximo ante mortem quadriennio, à Letiensi prasule Antonio de VVinghe magna sanctimonie viro, consilij causa Bruxellam Lesius euocatur. Et ecce itinere medio, duo calculi, uno gallinaceo pares (uti post mortem compertum est) nullo umquam antea indicio cogniti, quasi calo lapsi, vesicam cruentant & exulcerant. Crudeliorem numquam ipse hostem sensit. Mala praterita huic composita, lusus erant. Et tamen eadem illa mala, quasi in auxiliares vires euocata, ut grauius nocerent, simul cum utroque lapide, eodem tempore plerumq; sauebant: adeo ut Lesius & ab hernia, & à colica, & ab hepate, & à stomacho, & à tibijs pruritu, & ab alui obstructione, & à duobus illis lapidibus ferociter pugnantibus, crudelissimum bellum simul sustineret; & subinde pie quiritans exclamaret: Omnia excelsa tua & fluctus tui super me transierunt Domine. Tanta erat mali illius acerbitas, ut quamuis mortem, tardam etiam adustionem, pro ea Lesius eligeret. Neque diu neque noctes, à doloribus vacabat, incommodè & iacebat, & sedebat, & stabat. Pes uterq; sub planta (cum nempe frequenti pulsatione utriusq; calculi per os vesicae percurrere molientis impetum sustineret) ita conterebatur, ut Lesius vix deinceps, nisi duplicatis soccis, & sic agrè adhuc consisteret. Ita nullibi requies, nusquam pax: ubiq; bellum. Totum postremum quadriennium in perpetua ista carnificina transactum est.

Apud Medicos, ipsa etiam experientia in confesso est, dolores musculorum neruorumq; esse acutissimos. Et verò omnis binorum lapidum

VI.

VII.

VIII.